Jdeo in ſermone qui legit̃ in officio apl'oꝝ. Grego. ait. Scriptū eſt. ſpiritus dn̄i orauit celos: ornamēta enī celoꝝ ſunt virtutes ꝑdi=
cantiū. Que vicȝ ornamenta Paulus enu=
merat dicens. Alij dat̃ ꝑ ſpiritū ſermo ſapie.
Alij ſermo ſciētie ſc̄m eundē ſpiritū. Alij fi=
des in codē ſpū. Alij gratia ſanitatū in vno
ſpū. Et infra. Quot ſunt bona ꝑdicantiū tot
ornamēta celoꝝ. Hinc rurſum ſcriptum eſt.
Verbo dn̄i celi firmati ſunt et ſpū oris eius
oīs virtus eoꝝ. Verbū enī dn̄i eſt filiꝰ p̄ris.
Sed eoſdē celos vicȝ ſanctos apl'os vt tota
ſimul trinitas oſtendat̃ opata repēte de ſan=
cti ſpūs diuinitate adiungit̃. Et ſpū oris eiꝰ
oīs virtus eoꝝ. Celoꝝ igit̃ virtus de ſpiritu
ſumpta eſt qꝛ mūdi huiꝰ poteſtatibꝫ cōtrarie
nō p̄ſumerent niſi eos ſancti ſpūs fortitudo
ſolidaſſet. Quales nāqȝ doctores ſancte eccle
ſie an̄ aduentū huiꝰ ſpūs fuerint ſcimꝰ: ꝛ poſt
aduentū illius cuius fortitudinis facti ſunt
cōſpicimus. Certe ipē paſtor eccleſie. Petrꝰ
q̄nte debilitatis quātecȝ formidinis ante ad=
uentū huiꝰ ſpūs fuerit ancilla oſtiaria requi
ſita dicat. vna enī mulieris voce ꝑcuſſus: dū
mori timuit vitam negauit. Et tūc Petrus
negauit in terra: cum latro confitebatur in
cruce. Sed vir iſte tante formidinis qualis
poſt aduentū ſpūs exiſtat audiamꝰ. Fit ꝯuē
tus magiſtratuū atqȝ ſenioꝝ: ceſis denuncia
tur apl'is ne in noīe ieſu loqui debeāt. Petrꝰ
magna auctoritate r̄ndit. Obedire oportet
deo magis q̄ȝ hoībus. Et rurſum. Si in cō
ſpectu dn̄i iuſtū eſt vos potiꝰ audire q̄ȝ deū:
iudicate: libens beatus Andreas ꝑſecutori=
bus ſuis r̄ndit. Tāto eni ero regi meo accep=
tior quāto ꝓ eiꝰ noīe fuero ꝑmanēs in tor=
mentis cōſtantior. Nō enī poſſumꝰ q̄ audiui
mus et vidimꝰ nō loqui. Et illi quidē ibant
gaudētes a cōſpectu cōſilij q̄m digni habiti
ſunt ꝓ noīe ieſu ꝯtumeliā pati. hec ille. Se=
curus et gaudēs ad crucē ꝓperauit petrꝰ ita
et frater eius andreas. qꝛ ſpūs ſanctꝰ erat in
eis. Sic et apl'i ceteri mortē violentā letāter
tulerūt. qꝛ ſpūs ſanctꝰ oēm ab eis timorē eie
cerat. Nec tm̄ apl'is hec fortitudo ſupnatu=
raliter tributa ē. Quinimmo et ſanctis vt ſic
dicā innumeris ꝯfeſſoribꝫ. virginibꝫ. et mar
tyribus. Quiſnā fecit tꝑaliū bonoꝝ ꝯtēpto=
res eos q̄ xp̄m nudū nudi ſecuti ſunt niſi ſpi
ritus ſanctꝰ: Quis habitare fecit in ſolitudi
ne in ſpelūcis amicos dei vigilātes orātes.
et carnē duriſſimiſ ieiunijs diſciplinis ꝛ ver
beribꝫ affligētes: niſi ſpūs ſanctꝰ: Quis de=
nicȝ fecit martyres aīo itrepido tot illata tor
mēta ꝛ exq̄ſitiſſima cruciatuū genera ꝑpeti

niſi ſpūs ſanctꝰ: Ubi admirari plurimū ſi=
mul et in fide ꝯſolidari debemꝰ dū ſupdicta
oīa in ſexu fragili mulieꝝ inueniri ꝯſpicimꝰ
O vere ſtupenda virtꝰ ſpūs ſcti q̄ tot hoīes
ſup̄ hoīes eleuauit. O grā dei electis copio=
ſiſſime diſpēſata q̄ terrenos hoīes celeſtes ef
fecit. O fons indeficiēs bonitatꝭ dei ad quē
cūcti mortales cōfugere ſecuri debēt. q̄m vt
inq̄t Cyprianꝰ in epl'a ad Donatū. Proflu=
ens largiter ſpūs nullis finibꝫ p̄mit̃. nec vl
lis cohercentibꝫ clauſtris intra certa metaꝝ
ſpacia refrenat̃. Manat iugiter: exuberat af=
fluenter: noſtrū tantū pectus ſitiat et pateat.
Quantū illuc fidei capacis afferimꝰ tm̄ inde
gratie inundātis haurimꝰ. hec ille. Suppli=
ci corde igit̃ poſtulemꝰ vt pijſſimus deꝰ ſpū
ſancto ſuo repleat corda nr̄a. Qui ſit benedi
ctus in ſecula ſeculoꝝ. Amen.

¶ Sermo vigeſimuſprimꝰ de beatitudine
ſanctoꝝ in q̄ cōfutatur fatuitas hoīm mūda
norū qui nō credūt aliq̄d de vita futura.

Merces veſtra co
pioſa eſt in celis. Verba ſunt re=
demptoris nr̄i originaliter mat=
thei. v. c. Tanta eſt quorundā ſtulticia vt ar
bitrentur nulla eſſe bona p̄ter ea que in p̄nti
vita a pijſſimo deo vſibꝫ humanis cōcedun=
tur. Nil credunt: nil cogitant. Nihil denicȝ
ſperant: de futura celeſtis regni hereditate.
Somnū putāt immo fictionē ꝛ fabulā: quic
quid ſc̄m omnē veritatē de ſanctoꝝ beatitu=
dine ꝓclamatur. Hi omnē diligentiā adhi=
bent: vt corporeis ſenſibꝫ in ſuis delectatio=
bus voluptuoſis ſatiſfiat. Animā vero vir
tutibꝫ honeſtiſcȝ moribꝫ inſtruere ꝛ negligūt
et cōtemnunt. Propterea equū eſſe cenſui ſi
in p̄nti ſermone de beatitudine verba fecero.
Nam illā cuncti deſiderare debēt que meri=
to p̄ponenda eſt oībus que ab hoīe p̄cio ha=
beri ſolēt: de hac quilibet iuſtus atqȝ fidelis
aſſerit illud Sapie. ca. vij. Prepoſui illā re=
gnis et ſedibꝫ. et diuitias nihil eſſe dixi in cō
paratione illius: nec cōparaui illi lapidē pre
cioſum: q̄m oē aurū in cōparatione illius ha
rena eſt exigua: et tanq̄ȝ lutū exiſtimabit̃ ar=
gentū in cōſpectu illius. Sup ſalutē ꝛ ſpēm
dilexi eā: et ꝓpoſui ꝓ luce habere illā q̄m in=
extinguibile eſt lumen illius: venerūt autem
mihi oīa bona pariter cū illa. Ut igit̃ diſpo
namus ea q̄ tractaturi ſumus ordine debito
beatitudiniſcȝ laudes mirificentiſſimas cō=
plectamur q̄ copioſa merces a nr̄o ſaluatore
merito nuncupat̃: de ipa tria myſteria princi
palia proponemus cōtemplanda.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

¶ Primū dicit̃ beatitudinis deſideriū.
¶ Secundū beatitudinis ſubiectū.
¶ Terciū beatitudinis obiectū.
¶ Ex beatitudo eſt bonum quod cuncti deſiderare debent.

¶ Capitulū primū.

Primū myſteriū cōtemplandum dicitur beatitudinis deſideriū. in quo inducenda eſt cunctoꝝ mens vt ad beatitudinē dirigāt cordis affectū: illāqꝫ viribus totis conent̃ adipiſci. Nam ꝛ de hoc ita pulcre loquit̃ Seneca ad Luciliū. Ad ſummum inquit bonū et ꝓpoſitū totius vite tue reſpice Illi eni cōſentire debet quicquid agimus: idō peccamus quia de partibꝫ vite oēs deliberamus de tota vero nemo deſiderat. Errant cōſilia noſtra qꝛ nō habent quo dirigantur. Ignoranti quē portuꝫ petat: nullus ſinus certus eſt. hec ille. Sed vt ꝑs iſta lucidioꝛ fiat opus eſt vt ad tria dubia reſpondeamus.

¶ Primum vtrum homini cōueniat agere ꝓpter finem.

¶ Secundum vtrum finis humane vite ſit beatitudo.

¶ Tercium vtrum beatitudo ſit bonum deſiderabile.

¶ Ad primū dubium reſpondet ſanctꝰ tho. ꝑma ſcd̄e. q. i. ꝙ actionū que ab hoīe agunt̃: ille ſole ꝓprie dicunt̃ humane que ſunt ꝓprie hominis inquantū eſt homo. differt autē homo ab alijs rōnalibus creaturiſ in hoc ꝙ eſt dn̄s ſuoꝝ actuū qd̄ fit per rationē et voluntatē. Ille itaqꝫ actiones ꝓprie humane dicuntur q̄ ex voluntate deliberata ꝓcedunt. Alie vero non ꝓprie humane ſunt ſicut dū mouet pedē: vel fricat barbā alijs intentus ꝛ ſimilia licet ſint hoīs iſte actiones ſecūde nō ſunt ꝓpter fineꝫ et q̇bus homo nec mereri pōt nec demereri. Sed prime actiones ad finē ſunt dirigende. Inquit nāqꝫ phs in. ij. phyſico. Finis eſt principiū in operabilibꝫ ab hoīe. et in. ij. ethicoꝝ aſſerit. Fine omnes operant̃. Et iterū in. ij. phyſicoꝝ. Nō ſolum intellectus ſed natura agit ꝓpter finē. Et in. ij. metaphy. Qui infinitū faciunt auferūt naturā boni. Cum itaqꝫ finis ſit qui mouet agentē. et licet in executōe ſit poſterioꝛ tn̄ prioꝛ eſt in intentione agentis et habet rationem cauſe. ꝓpterea ad hominē ſpectat vt agat ꝓpter finē. Ad ſecundū dubiū reſpondet Ricar. in. iiij. di. xlix. ꝙ vltimus finis humane vite eſt beatitudo vt ait Augꝰ. li. viij. de ciui. dei. Finis boni appellat̃ quo quiſqꝫ cū ꝑuenerit beatus eſt. Et idem li. xix. de ciui. dei. Illud eſt finis boni ꝓpter qd̄ appetenda ſunt cetera: ipm̄ aūt ꝓpter ſeipm̄. Et. xxij. li. de ciui. dei. Finis inquit noſter eſt ꝑuenire ad illud regnū cuius nullus finis eſt. Et apl̄s ad Roma. vi. Habetis fructū verū in ſanctificatione: finē vero vitā eternā. Sed hic oꝛit̃ difficultas. quoniam cū beatitudo ſit in ip̄o deo. et beatitudo eſt finis humane vite etiam erit finis omnium creaturarum. Nam vt inquit Dioniſius in li. de diuinis nominibꝫ. Deus cōuertit oīa ad ſeipm̄ tanq̄ ad vltimū finē. Ad qd̄ dicit Tho. ꝑma ſe. q. i. ꝙ ſicut colligit̃ ex dictis Ariſto. ij. phyſicoꝝ. et. v. metaphyſice Finis dicit̃ dupliciter. ſ. vel eius terminus in quo id ē ip̄a res in qua rō boni inuenitur vel vſus ſiue adeptio illius rei. Sicut ſi dicamus ꝙ motus coꝛꝑis grauis finis eſt vel locus inferioꝛ vt res vel hoc qd̄ eſt eſſe in loco inferiori vt vſus. Et finis auari eſt vel pecunia vt res. vel poſſeſſio pecunie vt vſus. Si ergo loq̄mur de vltimo fine hoīs q̄ntum ad ip̄am rem q̄ eſt finis. Sic in vltimo fine hoīs oīa creata cōueniunt: quia deus eſt vltimus finis hoīs ꝛ oīm aliarū rerū. Si aūt loquamur de vltimo fine hoīs q̄ntum ad cōſecutionē finis. Sic in fine hoīs nō cōmunicāt creature irrationales. Nā et homo ꝛ alie creature rōnales conſequnt̃ vltimū finē cognoſcendo et amādo deū: qd̄ nō cōpetit alijs creaturis q̄ adipiſcunt̃ vltimū finē inquantū ꝑticipant aliquā ſimilitudinē dei ſc̄m ꝙ ſunt vel viuūt vel etiā cognoſcunt ſc̄m inſtinctuꝫ nature: licet nō ꝑ rationē vel intellectū. Ideo magiſter. i. di. ij. dicit. Fecit deus creaturā rationalē vt ſummū bonū intelligeret: intelligendo amaret: amando poſſideret: et poſſidēdo frueret̃. Quare vt Auguſtinꝰ docet in li. lxxxiij. q. Non cadit in aliq̄ rōne carentia vt beata ſint. ¶ Terciū dubiū fuit vtrū beatitudo ſit bonū deſiderabile. Et poſſet q̇s arguere ꝙ nō. nam nullū bonū incognitū eſt deſiderabile. hoc ptꝫ. Quia bonū apprehenſum eſt obiectū appetitus vt inq̇t Ariſto. in. iij. de aīa. Ideo Augꝰ. li. x. de trini. c. i. ait. Firmiſſime nouimus amari niſi nota nō poſſe. Sꝫ beatitudo eſt bonū incognitū ergo nō eſt bonum deſiderabile Philoſophi quidē multo ſubtiliter elaboꝛarūt vt de beatitudīe ac ſummo bono cognitionē inuenirent. Et vt Lactantius ſcribit in ꝑncipio primi li. diuina. inſtitu. Neqꝫ adepti ſunt qd̄ volebant et operam ſimul atqꝫ induſtriā ꝑdiderūt: hoc ideo dixit. qꝛ vt recitat Augꝰ. li. xix. de ciui. dei. Marcus varro notauit ducentas octuagintaocto falſas opiniones de beatitudine q̄s phi ſuo ingenio adinuenerūt. Augꝰ. etiam

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

in.xiij.de tri. aſſerit quoſdā poſuiſſe beatitu
dinē in voluptate corꝑis: quoſdā ī volupta
te aī: quoſdā in alijs rebꝫ puta ī diuitijs vel
honoribꝫ ⁊ hmōi: vt etiā ſcribit Ariſto. in. i.
ethicoꝝ. De his ad hoc ita loquitᷣ Lactan-
tius li. iij. diuinarū inſti. Epicurus ſummū
bonū in voluptate animi eſſe cenſet. Ariſtip
pus in voluptate corꝑis. Caliphon et Di-
nomachus cirenaici honeſtatē cū voluptate
iunxerunt. Diodorus in priuatione doloris
ſummū bonum poſuit. Hieronymus in nō
dolendo. Peripatetici aūt in bonis animi et
corporis et fortune. Et illi ſummū bonū eſt
ſciētia. Zenonis cū natura cōgruenter viue
re quorūdam ſtoicorum virtutem ſequi Ari
ſto. in honeſtate ac virtute ſummū bonum
collocauit. hec ille. Sꝫ infra de Epicuro ita
ſequitᷣ. Epicuri diſciplina multo celebrior
ſemꝑ fuit ꝙ̄ ceteroꝝ: nō quia veri aliquid ad
ferret: ſed quia multos ad populare nomen
voluptatis inuitat. Nemo enim nō in victa
ꝓnus eſt. Propterea vt ad ſe multitudinē cō
trahat appoſita ſingulis qͥbuſcꝫ moribus lo-
quitur. Deſidioſum vetat lr̄as diſcere. Aua
rū populari largitione liberat. Ignauū ꝓhi
bet accedere ad rempublicā: pigrū exercere:
timidū militare. Cōſtat itaqꝫ ex his ꝙ̄ erro-
nea fuerit philoſophoꝝ mens circa beatitu-
dinē agnoſcendā. Sed ꝑter illos adhuc cō-
firmare poſſum⁹ ꝙ beatitudo nō eſt cogno-
ſcibilis ꝑ verba pauli qui prime ad Corint.
ca. ij. ait. Oculus nō vidit et auris nō audi-
uit nec in cor hoīs aſcendit q̄ preparauit de
us his qui diligūt illū. Sed iſta de beatitu-
dine ſic Paulus locut⁹ eſt. Ergo tale bonū
eſt qḋ a nobis ꝑcipi minime pt̄ et ex ꝓſequen
ti neqꝫ deſiderari. At in cōtrariū eſt ſentētia
Auguſtini q̄ li. x. de ciui. dei. c. i. ait. Omniū
certa ſnīa eſt qui rōne quoquo modo vti pn̄t
beatos eſſe oēs hoīes velle. Et in. xiij. de tri.
Ad appetendū beatitudinē natura cōpellit
cui ſumme bonus et immutabiliter beatus
creator hoc indidit. Et de hoc Ariſto. in pri
mo ethicoꝝ ſic ſcripſit. bene enunciauerunt
dicentes bonū eſſe qḋ oēs appetunt. Et in. iij
thopicoꝝ. Maxime bonū omnes maxime
appetūt. Pro amouenda igitᷣ omni ambigui
tate notandū ex dictis Ricardi in. iiij. diſt.
xlix. Et tho. ꝑma ſe. q. v. ꝙ beatitudo pōt
accipi tripliciter.

Primo in ſuo eſſe generali.

Secundo in ſuo eſſe ſpeciali.

Tercio in ſuo eſſe ſpecialiſſimo.

Primo pt̄ beatitudo accipi in ſuo eſſe ge-
nerali inqꝫtū eſt bonū quoddā, ſufficientiſſi-
mum et ſic eſt oībus nota. Quilibet enī ſcit
quid eſt bonū et quid eſt ſufficientiſſimū. Et
hoc mō oēs beatitudinē appetunt. Nam ſic
appetere beatitudinē nihil eſt aliud ꝙ̄ appete-
re vt volūtas ſatietᷣ qḋ quilibet vult. Et hoc
eſt qḋ Boetius dixit in. iij. ḋ cōſolatōe. Ois
nanqꝫ mortaliū cura ꝙ̄ multipliciū ſtudio-
rū labor exercet: diuerſo qͥdē calle ꝓcedit: ad
vnū tn̄ beatitudinis finē nititᷣ peruenire. Et
ſumitᷣ h vn⁹ finis ſm̄ Beraldū oddonis ſup
primū ethicoꝝ nō ſm̄ ſpeciem opinionis ſed
ſm̄ ꝓportionē. Nam ſicut leuia habent vnū
finē ſm̄ ſpeciem nature. ſ. locū ſurſū. Et gra-
uia habeāt aliū finē ſm̄ ſpeciē nature. ſ. locū
deorſum. tn̄ grauia et leuia habent vnū finē
ſm̄ ꝓportionē nature. Eo ꝙ ita ſe habet loc⁹
deorſum ad grauia. ſicut loc⁹ ſurſū ad leuia
Ita ⁊ oēs hoīes tēdūt ad vnū finē ſm̄ ꝓporti
onē opinionis. eo ꝙ ita ſe habet pecunia ad
auarum in qua opinatur ſe fieri poſſe vnū ſi-
cut delectatō libidinis ad luxurioſum. qui in
ſua luxuria putat cōſtare beatitudinē. Oēs
quippe appetunt quidquid etiā indebite appe
tunt tanqꝫ cōſummatū bonū. Secūdo pōt
beatitudo accipi in ſuo eſſe ſpeciali inquātū
ſcilicet conſiſtit nō in bonis pn̄tis vite. ſed
in clara dei viſione et ꝑfecta eius dilectōne et
gaudio qḋ habetᷣ de dei bonitate pn̄ti ꝑ cla-
ram eius viſionē et perfectam dilectionē. Et
hoc modo beatitudo non fuit nota philoſo
phis quā tn̄ poſtqꝫ xp̄us dei filius venit in
mundū oēs qui volunt agnoſcere de ſidera-
re et acquirere valēt. Ipſe quidē q̄ lux fuit et
ſplendor oīs veritatis viā nobis ſummi bo-
ni oſtēdit. Ipe clamauit Mat. iiij. dicēſ. Pe
nitentiā agite appropinquabit regnū celorū.
Et. v. c. Merces veſtra copioſa eſt in celis.
Et. vi. c. Nolite theſaurizare vobis theſau-
ros in terra: theſaurizate vobis theſauros in
celo. Et Io. xvij. ca. Hec eſt vita eterna vt co
gnoſcant. ſ. facie ad faciē te verū deū: et quē
miſiſti ieſum xp̄m filiū tuū. Et cōplens hu-
mane redemptōnis myſterijs quadrageſima
die poſtqꝫ ſurrexit a mortuis videntibꝫ diſci
pulis eleuatus eſt et aſcēdit ad celos. Iccir-
co Lactanti⁹ li. vij. diuinarū inſtitu. ait. Pa
ter enī veſter ac dn̄s q̄ cōdidit, firmauitqꝫ ce-
lum qui libratā magnitudine ſua terrā valla
uit montibꝫ: mare circundedit amnibuſqꝫ di-
ſtinxit. et quicqͥd eſt in hoc mundo mirabile
cōſtauit ac ꝑfecit ex nihilo. ꝑſpectis erroribꝫ
hoīm: ducē miſit q̄ nobis viā iuſticie pande-
ret. Hūc ſequamur oēs: hunc audiam⁹: huic
deuotiſſime pareamus. qm̄ ſolus vt ait Lu-
cretius veridicis hominū purgauit pectora

dictis et finē ſtatuit torpedinis atqꝫ timoris
oſtenditqꝫ bonū ſummū quo tendimus oēs
quid foret: atqꝫ viā monſtrauit limite paruo
quo poſſemus ad id recto contendere curſu.
Nec tm̄ oſtēdit ſed etiā ꝑceſſit: neqꝫ difficul
tatis gratia iter virtutis horreret. Hec ille.
Tercio pt̄ accipi beatitudo in ſuo eſſe ſpecia
liſſimo put. ſ. eſt actualiter in beatis cuiꝰ ma
gnitudinē explicare nequaqꝫ poſſumꝰ quia
nulla ſenſibilis experiētia quarumcūqꝫ dele
ctationū pn̄tis vite minimā ꝑtē illius dulce
dinis pt̄ deſignare. Et oculus non vidit nec
auris audiuit: neqꝫ humanū cor excogitauit
vnqꝫ qꝫ ingens ſit illa ſuꝑna felicitas. Hinc
Grego. in omel. inqͥt. Si cōſideremꝰ fratres
chariſſimi q̄ et quāta ſunt que nobis ꝓmit-
tunꝰ in celis viloſcūt animo oīa q̄ habenꝰ in
terris. Terrena nāqꝫ ſubſtātia ſuꝑne felicita
ti cōparata: pondus eſt nō ſubſidiū. Tꝑalis
vita eterne vite cōparata: mors eſt potiꝰ di-
cenda qꝫ vita. Hinc in tranſitu beati Hiero-
nimi ſcribit hec verba Augꝰ. ad Cirillū eo
die et hora qua Hieronimus ſanctiſſimꝰ ex
hac luce migrauit. dū ꝯponie in cellula mea
quieſcēs de gloria beatoꝝ cogitarē velleqꝫ de
illa tractatū breuē cōponere cōpulſus ꝑcibꝰ
noſtri ſeueri quondā venerabilis Martini
epi turonenſis diſcipuli: charta calamo pu-
gillariqꝫ ſuſceptis: volui epiſtolā ſcribere ſan
ctiſſimo hieronimo deſtinandā: vt q̄d ipe in
re tā difficili ſentiret: rn̄deret. Cūqꝫ iam ſcri-
bens ſalutatōis exordiū hieronimo p̄ſenta-
rē: ineffabile ſubito lumē: cū inaudita odoꝝ
fragrantia cellulā in q̄ ſtabā intrauit: hora iā
cōpletoriȷ. Ad quā viſionē ꝓpter rei tā admi-
rabilis nouitatē perterritus eſſe cepi. Cūqꝫ
quidnā id eſſet attentiꝰ cogitarē de luce vox
inſonuit dicens. Auguſtine auguſtine quid
queris? putaſne breui immittere vaſculo ma
re totū. Modico includere pugillo terrarū
orbē. Celū firmare ne ſuos exerceat motus.
Infinite rei qꝫs inerit finis. immēſa q̄ menſu
ra metieris? Potius totū mare in artiſſimo
caudereꝰ vaſculo: potius orbē terrarū ꝑuus
teneret pugillꝰ: potius a motu ꝯtinuo celū de
ſiſteret: qꝫ gaudioꝝ ⁊ glorie q̄bus beatoꝝ aīe
ſine fine potiunꝰ minimā ꝑticulam intellige
res: niſi vt ego experiētia docearis: diſcurre
ad hoc breue tꝑis ſpaciū ⁊ talia ſatage oꝑa ex
ercere vt poſtmodū ibi q̄ hic aliqualiꝰ intel-
ligere cupis in eternū habeas. Interroganti
vero mihi quiſnā eſſet q̄ talia tā grauiſſime
loquereꝰ. Rn̄dit benigne: hieronimi illiꝰ p̄-
ſbyteri cui epiſtolā ſcribere cepiſti ſum aīa q̄
in hac hora in bethleem carnis onere depoſi

to iocunda et glorioſa ꝑgo ad regna celoꝝ.
poſt q̄ ⁊ alia multa q̄ mecū cōtulit a meis ocu
lis lux diſparuit. Quāto igiꝰ minꝰ beatitu-
dinis ſuꝑne ſublimitas pt̄ ꝯprehēdi tāto ar-
dentius eſt a nobis exoptanda.

Que beatitudo cōſiſtit in aīa: in intellectu vi
delicet et in volūtate. Capitulū. ij.

Secundū myſteriū ꝯtemplandū dr̄ bea
titudinis ſubiectū: in q̄ tria dubia ſunt
abſoluenda.
Primū vtrū beatitudo ſit actꝰ aīe tm̄.
Scdm̄ vtrū ſit actus intellectꝰ ⁊ volūtatis.
Terciū vtrū ſit principaliꝰ in actu volūtatꝭ
qꝫ intellectus.

Ad primū dubiū rn̄det Ricar. in. iiij. diſ.
xlix. ꝙ beatitudo eſt actꝰ aīe tm̄. Nā beatitu
do eſt nobiliſſimū qḋ in hoīe poſſit eē: nec in
creaturis infra hoīes ꝯuenire pt̄. Oporteꝰ ḡ
ꝙ cōſiſtat in actu ꝓprio hoī: nō q̄cūqꝫ ſꝫ nobi
liſſimo. Actꝰ aūt hoīs ꝓprius nō eſt niſi ille
q̄ eſt hoīs ꝑ illā formā q̄ hō eſt: hoc eſt aūt aīa
intellectiua. Nobiliſſimꝰ ḡ actus hoīs ē ille
q̄ ſibi ꝯuenit ſꝫm aīam intellectiuā: ſiue ſit co
gnitio ſiue dilectio. Ex q̄ damnaꝰ opinio il
loꝝ q̄ dixerūt aīam ſine corꝑe beatā eſſe nō
poſſe. Nā vt inq̄t tho. ꝑma ſe. q. iiij. loquen-
do de beatitudine ꝑfecta q̄ in dei viſione cō-
ſiſtit: ſine corꝑe aīa pt̄ eē beata. qm̄ intellectꝰ
ad ſui operationē nō indiget corꝑe niſi ꝓpter
fantaſmata in q̄bus intelligibilē veritatē cō-
tinet: diuina aūt eſſentia ꝑ fantaſmata videri
nō pōt. Vn̄ cū viſione diuine eſſentie ꝑfecta
hoīs beatitudo ꝯſiſtat: nō depēdet beatitudo
hoīs a corꝑe: q̄re et ipm̄ corpꝰ ad ꝑfectōꝫ bea
titudinis nō requiriꝰ. Sciendū tm̄ ꝙ ad ꝑfe
ctionē alicuius rei dupl̄r aliq̄d ꝑtinet. Uno
mō ad ꝯſtituendā eſſentiā rei. ſic aīa requiriꝰ
ad ꝑfectionē hoīs. Alio mō requiriꝰ ad ꝑfe-
ctionē rei id qḋ ꝑtinet ad bn̄ eſſe eiꝰ: ſicut pul
critudo corꝑis ⁊ velocitas ingenij ꝑtinet ad
ꝑfectōꝫ hoīs. Quāuis ḡ corpꝰ ꝓmo mō ad ꝑ
fectionē beatitudis hūane nō ꝑtineat: ꝑtinet
tm̄ ſcdo mō. Quare qꝫto aīa ꝑfectior erit i ſua
natura: ꝑfectiꝰ hēbit ſuā ꝓpriā operatōꝫ in q̄
ꝯſiſtit felicitas: h̄ ꝓpo erit cū ſuo corꝑi ipa btā
reunieꝰ. Propter illā aūt vnionē nō erūt hoī
neceſſaria exteriora iſta bona: q: corpꝰ ex cō-
iunctōe ſui ad aīam erit glorioſum ac ipaſſi-
bile. Nā vt ſcribit dn̄s Bonauen. in ſuo. iij.
di. xxviij. Cōtingit aliq̄d eſſe beatū tripl̄r. ſ.
ꝑ eſſentiā ⁊ ꝑ primā influentiā: ⁊ ꝑ quandā re
dundantiā. Beatū ꝑ eſſentiā ē ſolꝰ deꝰ. Bea
tā ꝑ primā influentiā eſt ſolus rōnalis ſpūs.
beatā deniqꝫ ꝑ quandā redundantiā ē corpꝰ
hūanū i qḋ gaudiū glīe redūdat ex ꝯiunctōe

ſui ad aīam beatā. Et licet corpꝰ humanū nō
ſit ad imaginē dei ꝑ ſe: tn̄ vnitū eſt aīe q̄ ē ad
dei imaginē: et rōne illiꝰ eſt beatitudīs ꝯpar
ticipabile. Si vͦo aliq̄s inſtaret ꝯ dicta de ex
terioribꝫ bonis qꝛ videt̄ ꝯriū. Nā cibꝫ potus
diuitie ⁊ regnū exteriora bona ſunt et hec ꝓ-
mittunt̄ beatis. Vn̄ Luce. xxij. xp̄us dicit.
Edatis ⁊ bibatis ſuꝑ menſam meā in regno
meo. Et mat. vi. Theſaurizate vobis theſau
ros in celo. et mat. xxv. Poſſidete paratū vo
bis regnū: ḡ et iſta ad beatitudinē exigunt̄.
Rn̄det tho. ꝙ oīa iſta metaphorice ſunt in-
telligēda: ſm ꝙ in ſcripturis ſolent ſpūalia ꝑ
corꝑalia deſignari. Sicut ꝑ cibū ⁊ potū in-
telligit̄ delectatio beatitudīs: ꝑ diuitias ſuf-
ficientia q̄ ſufficit hoī deꝰ: ꝑ regnū exaltatio
hoīs vſqꝫ ad ꝯiunctōꝫ cū deo. Scd̄m dubi-
um fuit vtrū btītudo ſit actus intellectꝰ ⁊ vo
lūtatis ſil'. Et licꝫ quidā teneāt ꝙ eſſentia bea
titudinis vite hūane ī ſoliꝰ intellectꝰ actu cō
ſiſtat ita ꝙ nullo mō in actu voluntatis. Tn̄
Ricar. i. iiij. vbi. ſ. dicit. ꝙ btītudo ꝯſiſtit in
actu volūtatis ⁊ intellectꝰ ſil'. Cuiꝰ rō eſt: qꝛ
eſſentia beatitudinis vite hūane ꝯſiſtit in ꝑfe
cta vnione aīe rōnalis cū deo. Hec aūt vnio
includit vnionē aīe cū deo ſm oēm ſui potē-
tiā ꝑ quā vnibilis eſt cū eo īmediate. Potētia
aūt aīe rōnalis nō tm̄ eſt intellectꝰ ſꝫ volūtas
et ꝑ quālibet illaꝝ vnibilis eſt cū deo īmedia
te. Sic eni deꝰ ſub rōe q̄ ſummū verū: eſt im
mediatū obiectū intellectꝰ beatoꝝ: ita ſub rō
ne q̄ ſummū bonū eſt īmediatū obiectū volū
tatis eoꝝ. Quāuis eni ipo īmediate nō frue-
rent̄ niſi ipm̄ īmediate viderēt: tn̄ immediatū
obiectū volūtatꝫ eoꝝ nō eſt ipa viſio ſūmi bo
ni: ſꝫ ipm̄ ſūmū bonū. Nō eni volūt ſummū
bonū ꝓpt' illā viſionē ſic̄ ꝓpter finē: ſed volūt
ipam viſionē ꝓpter ipm̄ ſummū bonū ſic̄ ꝓ-
pter vltimū finē. Ipm̄ ḡ ſummū bonū ꝑmo
et īmediate eſt ab ipis volitū: ḡ eſt volūtatis
eoꝝ īmediatū obiectū. Ergo ꝑfecta vnio aīe
cū deo in q̄ btītudo ꝯſiſtit ē ꝑ intellectū ⁊ vo
luntatē Itaqꝫ ī actu vtriuſqꝫ ſimul ꝯſiſtit. Et
ſi obijceret̄ ꝙ auctoritates ꝯtrariū nolentibꝫ
eas intelligere ꝯtrariū ſonare vident̄: puta qꝛ
in viſione dicūt beatitudinē ꝯſiſtere. Rn̄det
Ricar. ꝙ ſemꝑ includūt ꝯcomitantē dilectio
nē. Nā cōſummata dei dilectio inſeꝑabiliter
cōcomitat̄ clarā eius viſionē. Propterea Au
guſti. li. i. de tri. ca. penultimo dicit. Que viſio
eſt ſummū ꝑmiū et ipa eſt actus intellectus.
Et i. li. de doctrina xp̄iana idē dicit. Hec ē
ſumma merces vt ꝑfruamur deo: ſūma mer
ces eſt beatitudo et fruitio eſt actꝰ voluntatꝫ
q̄ viſionē cōcomitat̄. Tercium dubiū erat
vtrū beatitudo principaliꝰ cōſiſtat in actu vo
luntatis q̄ꝫ intellectꝰ. Et rn̄det Ricar. ꝙ ſic.
Primo qꝛ ſicut inter habitꝰ vie charitas eſt
donū principaliꝰ ſm Augꝰ. xv. de trini. ca.
xviij. Ita inter habitꝰ patrie charitas patrie
eſt donū principalius. Sed in patria nobili
or habitus hꝫ nobiliorē actū. Ergo deū ꝑfe-
cte diligere qui eſt actus charitatis patrie eſt
actus nobiliſſimꝰ aīe. cū ergo in nobiliſſimo
actu principaliſſime cōſiſtat beatitudo: et di
ligere ſit actus volūtatis: principaliꝰ cōſiſtit
in actu volūtatis q̄ꝫ intellectꝰ. Secūdo ꝓba
tur ꝙ beatitudo principaliꝰ conſiſtit in actu
volūtatis q̄ꝫ intellectꝰ ex eo ꝙ volūtas ē no-
bilior potētia q̄ꝫ ſit intellectus. Nā Bernar.
in li. de libero arbitrio dicit rōem eſſe quodā
mō pediſſequā volūtatis. Et Anſel. in li. de
cōceptu virginali. dn̄ium totiꝰ regni anime
attribuit̄ volūtati. Et Ariſto. in. vij. politice
ca. v. potētia qua eligimꝰ ꝑncipalior eſt. Ad
huc id ꝓbat̄ qꝛ volūtas in ſuo actu cogi nō
p̄t nec circa ea q̄ ſunt ad finē neceſſitari. In-
tellectus aūt cogi p̄t et circa ea q̄ ſunt ad finē
neceſſitari. Inſuꝑ magis pōt tranſformare
aīam volūtas q̄ꝫ intellectus et ſuū obiectum
reſpicit ſub rōne nobiliori. Bonū eni eſt ob-
iectū volūtatis. Ens obiectū intellectus. Rō
aūt boni eſt ꝑfectior q̄ꝫ ſit rō entis. Tercio ꝓ
batur qꝛ deus eſt vltimus finis maxime ſub
rōne qua bonū: qđ ꝑꝫ qꝛ ex hoc ꝙ creature
ordinant̄ in ipm̄ vt in finē maxime eſt in eis
ratio bonitatis: ſicut ꝑ hoc ꝙ ipm̄ reſpiciūt
vt exemplar: maxime eſt in eis ratio veritatꝫ.
Sed deus ſub rōne qua ſummū bonum eſt
voluntatis obiectū ſub ratione qua ſummū
ens vel verū eſt intellectus obiectū. ergo vo
luntas magis reſpicit deū ſub rōne finis q̄ꝫ
intellectus. Sed deus ſub rōne qua vltimꝰ
finis eſt beatificans. ḡ ſub rōne qua eſt beati
tudinis obiectū: principaliꝰ tendit voluntas
in ipm̄ q̄ꝫ intellectus. Et ſic ꝯſiſtit beatitudo
principaliꝰ in actu volūtatis q̄ꝫ intellectus.

Que beatudo nō poteſt eſſe in bonis ꝑſen-
tis vite. Capitulū. iij.

Terciū myſteriū cōtemplandū dicit̄ bea
titudinis obiectū: in quo tria ſunt du-
bia abſoluenda.
Primū vtrū beatitudo ſit quid creatū.
Secundū vtrū beatitudo poſſit amitti.
Terciū vtrū btītudo poſſit ī hac vita haberi.
Ad primū dubiū rn̄det Ricar. vbi. ſ. Et
tho. ꝑma ſe. q. iij. Que beatitudo vite humane
dupliciter p̄t accipi. Vno mō ꝓ illo bono in
quo ꝑfecte et plenarie requieſcit hūana vita.
Alio mō ꝓ ꝑfecta quiete humane vite in il-

lo bono que cõſiſtit in pfecta hoīs ↄiunctõe cũ illo bono. Primo mõ beatitudo accipiť pro beatitudinis obiecto. et ſic beatitudo eſt quid increatũ. ſ. ipẽ deus. Beatitudo autẽ ſecundo mõ accepta eſt aliq̃d exiſtẽs in beato tãq̃ eius vltimata et plenaria pfectio: et ſic ẽ aliq̃d creatũ. Cum enĩ beatitudo cõſiſtat in viſione dei: videre deũ eſt actus creature videntis. ¶ Secundũ dubiũ fuit vtrũ beatitudo poſſit amitti. Et ad hoc dicimus ex ſnĩa ſancti tho. pma ſe. q. v. ꝙ beatitudo põt tripliciter cõſiderari.

¶ Primo in ſua imperfectione.
¶ Secundo in ſua generali rõne.
¶ Tercio in ſua ſpeciali reſtrictõe.

¶ Primo pt beatitudo cõſiderari in ſua imperfectõe. put. ſ. beatitudo eſt illa impfecta q̃litas q̃ in hac vita haberi pt ſiue ſit felicitas cõtemplatiua ſiue ſit actiua: hec quidẽ amitti pt licet nõ de facili: ſicut ptʒ in felicitate cõtemplatiua q̃ amittiť vel per obliuionẽ. puta cum corrumpiť ſcĩa ex aliqua egritudine vel etiã p aliquas occupatões. q̃bus totaliter abſtrahiť aliq̃s a ↄtemplatione. Patet etiã idẽ in felicitate actiua: volũtas enĩ hoīs trãſmutari pt vt in viciũ degeneret a virtute. Ideo phs dicit in. i. ethicoꝝ aliquos eſſe in hac vita beatos nõ ſimpliciter: ſed ſicut hoīes quorum natura mutationi ſubiecta eſt. Secundo pt beatitudo cõſiderari in ſua generali ratione: et ſic beatitudo nõ pt amitti. Cũ enĩ ſit pfectũ bonũ et ſufficiẽs oportet ꝙ deſideriũ hoīs quietet: et oẽ malũ excludat. Naturaliter aũt homo deſiderat retinere bonũ qđ habet et ꝙ eius retinendi ſecuritateʒ obtineat. Alioquin neceſſe eſt ꝙ vel timore amittendi vel dolore de certitudine amiſſionis affligať Requiriť ergo ad verã beatitudinẽ ꝙ homo certã opinionẽ habeat bonũ qđ habet nũq̃ ſe amiſſurũ: que quidẽ opinio ſi vera ſit: cõſequens eſt ꝙ beatitudinẽ nunq̃ amittet. Si aũt falſa ſit: hoc ipm̃ ẽ quoddã malũ. ſ. falſaʒ opinionẽ hr̃e. Nã falſum eſt malũ intellectꝰ ſicut verũ eſt bonũ ipius. vt dr in. vi. ethico. Nõ ergo iã erit vere beatꝰ ſi aliqđ malũ ei ineſt. Tercio pt beatitudo ↄſiderari in ſua ſpeciali reſtrictõe inq̃ſtũ. ſ. pfecta beatitudo cõſiſtit in viſione diuine eſſentie. Et ſic beatitudo nullo mõ põt amitti neq̃ ex pte videntis nec ex pte dei. neq̃ etiã ex pte alicuius alterꝰ agentis. Nõ ex pte videntis. qꝛ impoſſibile eſt ꝙ aliq̃s vidẽs diuinã eſſentiã velit eã nõ videre. Nõ eſt: qm̃ omne bonũ habitũ q̃ q̃s carere vult: aut eſt inſufficiẽs ⁊ q̃riť aliq̃d ſufficiẽs loco eius: aut habet aliqđ incõmodũ annexũ ꝓpter quod in faſtidiũ venit. Viſio aũt diuine eſſentie replet aĩam oĩbus bonis: et nõ hʒ aliqđ incõmodũ adiunctuʒ. Quare ꝓpria volũtate nõ pt beatꝰ beatitudinẽ deſerere. Sĩlr beatus nõ pt beatitudinẽ pdere deo ſubtrahẽte: qꝛ cũ ſubtractio beatitudinis ſit quedã pena nõ pt talis pena a deo iuſto iudice ꝓuenire niſi p aliqua culpa q̃ cadere non pt in eũ q̃ dei eſſentiã videt: cũ ad hãc viſionẽ de neceſſitate ſequatur rectitudo volũtatis. Nõ pt etiã beatitudo amitti ex pte alicuius alterius agẽtis. qꝛ mens deo cõiuncta ſuper oĩa alia eleuať. et ſic ab hmõi ↄiunctiõe nullum aliud agens pt ipam excludere. Eſt ergo beatitudo pfectio cõſummata q̃ oẽm defectũ excludit a beato. Et ideo abſq̃ mutabilitate adducat eã habẽti: faciente hoc virtute diuina q̃ hoīeʒ ſubleuat in pticipationẽ eternitatis tranſcendẽtis oẽm mutationẽ. Idcirco male dixit Origenes ſequẽs quorundam platonicoꝝ errorẽ ꝙ poſt vltimã beatitudinẽ homo pt fieri miſer. Terciũ dubiũ fuit vtrũ beatitudo poſſit haberi in hac vita. Et ad hꝫ reſpondemꝰ ꝙ nõ: loquẽdo de lege cõi. ⁊ hoc ꝓpterea qꝛ dñs noſter ieſus xp̃s fuit viator ⁊ cõprehenſor. Quare vero in hac vita q̃s beatus eſſe non pt aſſignari poſſunt tres rõnes precipue.

¶ Prima diciť inſatiabilitatis.
¶ Secunda penalitatis.
¶ Tercia mortalitatis.

¶ Prima rõ dr inſatiabilitatis. Vt enĩ inquit dñs Bonauen. di. v. iiij. libri. Beatitudo eſt finis ſatiãs appetitũ. Sʒ bona pñtis vite nõ ſatiãt appetitũ: nõ diuitie: nõ delitie: nõ honores: nõ fama: nõ gloria: nõ queccũq̃ deſiderabilia ⁊ delectabilia excogitari pñt: vt docet experientia. Ergo nec in hmõi bonis beatus q̃s reputari dʒ. Tho. ꝑo. i. pte. q. ij. dicit. Impoſſibile ẽ beatitudinẽ hoīs eẽ in aliq̃ bono creato. qꝛ beatitudo eſt bonũ pfectũ qđ totaliter quietat appetitũ: alioq̃n nõ eſſet vltimꝰ finis ſi adhuc reſtaret aliq̃d appetendũ. Obiectũ aũt volũtatis ẽ vniuerſale bonũ ſicut obiectũ intellectus eſt vniuerſale verũ. Ex quo ptʒ ꝙ nihil põt quietare voluntatẽ hoīs niſi bonum vniuerſale: qđ nõ inueniť in aliquo creato ſed ſolum in deo. qꝛ oĩs creatura habet bonitatẽ pticipatã. Vñ ſolꝰ deus volũtatẽ hoīs implere pt. Ideo dauid in p̃s. dixit. Satiabor cũ apparuerit gloria tua. Et Auguſti. li. i. cõfeſſionũ. Feciſti nos dñe ad te et inquietũ eſt cor noſtrũ donec quieſcat in te. Et i. iiij. li. Redite inq̃t p̃uaricatores ad cor et inherete ei q̃ fecit vos: ſtate in eo ⁊ ſtabitis:

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quieſcite in coꝛ quieti eritis. Quo itis ī aſpe
ra: q̄ itis. bonū qḋ q̄ritis ab illo eſt. Quia igi
tur aīa eo imago dei eſt q̄ ei⁹ capax eſt et pti-
ceps eſſe pt. vt ſcribit Aug⁹. xiiij. de trini. Jc
circo nulla creatura aīe capacitatē īplere va-
let. Scḋa rō cur in hac vita nō poſſit q̄s eſſe
beat⁹ dicit̄ penalitatis. vt eni ait Tho. pma
ſe. q. v. Beatitudo excludit oē malum. Vita
aūt pñs multis malis ꝛ penalitatibꝫ ſubiacet
q̄ vitari nō pñt. Et ignorātie ex pte intellect⁹
et inordinate affectōis ex parte appetitus: et
multiplicibꝫ laboribꝫ: calamitatibꝫ ꝛ erūnis
ex pte corpis. quō igit̄ in tot influctuationi-
bus beatū ſe credere quiſpiā hꝫ. Inq̄t Job
ca. xiiij. Homo natus de muliere breui viuēs
tpe replet̄ multis miſerijs. Et Hiero. ad he-
liodoꝝ. Vbiqꝫ luctus: vbiqꝫ gemit⁹ et pluri
ma mortis imago. Et boetius li. ij. de cōſo-
latōe. Quā multiſ amaritudinibꝫ humane fe
licitatis dulcedo reſperſa eſt: q̄ ꝛ ſi fruenti io
cunda eſſe videat̄ tñ quo min⁹ cū velit abire
retineri nō pt. Et Seneca in tragedijs. Nul
la ſors lōga eſt: doloꝛ atqꝫ voluptas inuicē ce
dunt. Nemo vtiqꝫ reperit̄ q̄ diutius in quo
cūqꝫ ſit ſtatu delectari poſſit et abſqꝫ turbatio
ne vel animi vel corpis ptranſire. Nemo in
quit Seneca vbi. s. ꝯfidat nimiū ſecundis
Nemo deſperet melioꝛa lapſis. Et ad Lu-
cillū. Noli huic trāq̄llitati ꝯfidere mométo
mare euertit̄ ꝛ eodē die vbi luſerunt nauigia
ſorbent̄. Quiſnā felicioꝛ iudicari potuiſſet
Policrato tyranno ſamioꝝ. de ipo q̄ ꝓpe re-
fert Tulli⁹ in li. de finibꝫ bonoꝝ et malorū.
Et idē cōfirmat valerius de mutatōe moꝝ et
fortune. q̄ adeo ſibi fortunā obſequioſaꝫ ha
buit q̄ oīa deſiderata pficiebat. Ad moderā-
dā igit̄ fortune inuidiā ſumpto e manu anu
lo quē pcioſum poſſidebat in mare iecit. Sꝫ
inopinate illū repēte recuperauit. Nā poſt di
es paucos a piſcatoribꝫ piſcis capt⁹ q̄ anulū
ſorbuerat tyranno donatus eſt. Accidit tan
dem q̄ aduerſus Dariū pſarū regē duxit ex-
ercitū. et q̄ Orutheſ pfectus darij illū acie
fuderit cepitqꝫ et in ſummo megalenſis mō-
tis vertice ſuſpendi iuſſerit. Et relict⁹ auibꝫ
lacerandus. q̄ vbiqꝫ feliciſſime in terra vixe-
rat in aere miſerrime expirauit. Mutant̄ oīa
q̄ ſunt in hoc mūdo. et nihil eſt ſtabile. nihil
firmū. nihil deniqꝫ tutū. Jdeo ſapiēs Eccle
ſiaſtes. ij. c. dicebat. Vidi in oībus vanitatē
et afflictionē ſpūs et animi ꝛ nihil pmanere
ſub ſole. Tercia rō q̄re in pñti vita nullus
pt eſſe beat⁹ ē mortalitatis. Oēs quippe ad
mortē tendim⁹ cuius manus potentiſſimas
nullo ingenio. nulla vi. nulla arte. nullo p-
cio euitare valemus. Inſtat ceruicibꝫ nr̄is.
Si q̄s igit̄ dixerit aliquē beatū eo q̄ diuitijs
affluat ſtatim reſpōdebo. Nō ſic nō ſic. qꝛ di
uites moriunt̄. Si q̄s affirmauerit aliū eſſe
beatū eo q̄ oībus delitijs hui⁹ ſeculi pfruat̄
Ad hoc rn̄debo. nequaqꝫ ſic ē. qꝛ poſt breuē
hanc vitā oēs hoīes morient̄. Si q̄s beatū
reputauerit eū q̄ orbi vniuerſo dn̄aret̄. Cla-
mabo et ego q̄ nec regna ſiue imperia beatū
hoīem reddūt. qm̄ ꝛ principes et reges ꝛ pur
purati ꝛ impatores oēſqꝫ dn̄i morient̄. Et iō
cū Lactantio cōcludim⁹ dicēte. iij. li. Sum
mum bonū qḋ beatos facit nō pt eſſe niſi in
ea religione atqꝫ doctrina cui ſpes immorta
litatis adiuncta eſt. Igit̄ demus operā ne de
cipiamur temporaliū bonoꝝ ſuauitate. atqꝫ
mundū audacter ſub pedibus habeamus. eo
qꝫ tm̄ vtamur vt ſic tandem pueniamus ad
fruitionē illā beatā. ad quā nos pducat ieſus
filius dei qui cū patre et ſpū ſancto viuit ꝛ re
gnat in ſecula ſeculoꝝ. Amen.

Sermo vigeſimuſſecund⁹ de gaudijs be
atorū q̄ letabunt̄ ex viſione dei ꝛ dotatione
corporū atqꝫ habitatōe in celo empirreo.

Exultabunt ſancti in gloria. Illuminati ꝓphete ver-
ba ſunt iſta originaliter ps. cxlix.
Licet arta ſit via q̄ ducit ad vitā q̄rtum eſt ex
pte virtuoſoꝝ actuū. Nihilomin⁹ facillima
atqꝫ ſuauis ex ꝯſideratōe futuri pmij. Inq̄t
eni Origenes ſup eplas pauli. Spes futu-
rorū laboribꝫ requiē parit. Hinc Hieronim⁹
Euſtochiū virginē in epl'a ad eandē cōmo-
net. vt allicientes blanditias ſeculi ad q̄ mēs
hūana cōiter inclinat̄ paradiſi recordatōe cō
culcet. Ait ergo. Quotiēs te vana ſeculi dele
ctat ambitio. Quotiēs ibi videris aliq̄d glo
rioſum. ad paradiſum mente trāſgredere. et
eſſe incipe q̄ futura es Egredere q̄ſo pauliſp
de carcere corpis tui et pñtis laboris merce-
dem an̄ oculos depinge. quā oculus nō vi-
dit et auris nō audiuit. nec in coꝛ hoīs aſcen
dit. hec ille. Jccirco vt in via dn̄i expeditius
fortiuſqꝫ bn̄ viuēdo ambulemus. decreui in
pñti ſermone de gaudio beatoꝝ verba facere
Nō vtiqꝫ q̄ꝫ ſit immenſum oſtendemus ma-
xime ꝓpter tria.

Primo ꝓpter dei viſionē.
Scḋo ꝓpter corporis dotationē.
Tercio ꝓpter loci habitationē.

Qualiter poteſt videre eſſentiā diuinā ho
mo vel angelus. ꝛ quō nō oēs videt illā equa
liter et quāta ſit in illa viſione iocunditas et
delectatio.

Capitulū. i.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf